DE

PERICLE THUCYDIDEO.

SPECIMEN PRIMUM.

SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM AUCTORITATE

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS RITE OBTINENDIS

D. XXII. AUG. A. MDCCCXXIX.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

IOSEPHUS AUGUSTUS KUTZEN,

FRANKENSTEINENSIS.

VRATISLAVIAE,

TYPIS KUPFERIANIS.

COMITI

LAZARO HENCKEL

de DONNERSMARCK

HUNC LIBELLUM

GRATISSIMI ANIMI

TESTEM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

V i t a.

Ego Josephus Augustus Kutzen, Frankensteinensis, Josephi Kutzen, molae ibi tributariae possessoris filius secundus, Gymnasium Glacense adii a MDCCCXIII puer duodecim annorum, ibique commoratus sum octo annos, per quos singulari quodam amore praeceptorum dilectissimorum frui mihi licuit. Auspiciis Ludovici Wachler, Viri Illustrissimi, primae notae testimonium adeptus, ad liberiora studia academica me contuli Vratislaviam, ubi hi fuere mihi praeceptores de me maxime meriti semperque pie mihi colendi: in studiis historicis, quae imprimis exercere statueram, L. Wachler et G. Stenzel; in philologicis F. Passow et C. Schneider; in philosophicis J. Rohovsky et H. Steffens, in physicis L. Jungnitz. Palam profiteor, his Viris Doctissimis, Celeberrimis me nunquam dignas referre posse gratias.

Triennio academico praeterlapso per tres annos apud comitem LAZARUM HENCKEL de DONNERSMARCK magistri munere functus sum. Ejusdem patroni optimi liberalitate mihi contigit, ut anno MDCCCXXVIII Berolinum profectus interesse possem lectionibus CAROLI RITTER de geographia universali disputantis. Praeter illum virum eruditissimum maximeque ingenuum hisce usus sum ibi praeceptoribus Illustr.: AUG. BOECKH, FRID. HEGEL, FRID. de RAUMER, praecipue FRIDERICO WILKEN, cujus summa in me humanitate haud parva commoda rei litterariae mihi accidisse profiteor. — Examine coram Ordine Amplissimo Philosophorum Vratislaviensium superato in eo sum, ut dissertationem meam de Pericle Thucydideo publice defendam.

THESES.

I. Friderico Kortüm ob verba Thucydidis (I., 141.): *χρόνιοί τε ξυνιόντες* (*οἱ Πελοποννήσιοι*) scribenti: „*Die Tagsatzung* (*der Peloponnesier*) *war nicht regelmässig*", non assentior. Conf. Fr. Kortüm: *Zur Geschichte Hellenischer Staatsverfassungen* etc. p. 44. not. 54.

II. Verba Thucydidis II, 65: *τρία ἔτη ἀντεῖχον* ... historiae non adversantur. Conf. Poppo I, 2. pag. 572.

III. Quae in Aristotelis lib. I. c. VII. et lib. III. c. X. de rhetorica e Periclis oratione funebri prolata leguntur, haud referenda sunt ad eam, quam Pericles primo belli Peloponnesiaci anno habuit.

IV. Anno 450 ante Chr. n. Cimon ad Cyprum insulam nullam de Phoenicibus victoriam reportavit.

V. Ab Alarico priore, rege Vesegothico, familia regnatrix nomen Balthorum non accepit. Cf. Aschbachii Historia Vesegoth. pag. 66.

VI. Dubitari licet, num Pippinus Stephano II. papae auxilium ferens Longobardos imperio privare voluerit.

Praefatio.

Periclis aetatem constat ab omni fere laude clarissimam esse. Et sane apparent virtutes illius aetatis haud quinquaginta annos superantis tam insignes, ut potentissimi reges populique longa annorum serie easdem non assecuti sint, immo ut ea etiam, quae optima raro prodiere, quovis nomine vix in comparationem vocari possint. Quid? quod ea ipsa aetas illud potissimum divinum procreavit, cujus novo semper atque immortali quodam amore posteri nos omnes ad Graecos antiquos vel potius ad Athenienses allicimur, summam dico animi vim atque habilitatem ad omnes res pertinentem, in qua vera hominis natura atque indoles praecipue perspicitur. Quare non mirum est, historiae studiosos aetatem clarissimam, quam dixi, prae ceteris laeta memoria repetiisse, virumque, cujus nomine eam ornatam scimus, Periclem, omni contemplatione dignissimum censuisse. Quo factum est, ut de Pericle quum per-

multi homines docti et ingenio et tempore et contemplandi ratione inter se valde diversi inquirerent, diversissima existerent judicia. Atque recentiore quidem aevo haud pauca de eo praeclare dicta sunt, sed hic illic dispersa, occasione fere aliqua materiam praebente vel etiam necessitate urgente, quum ob alia quaedam consilia rerum describendarum exequenda Periclis nomen atque vim praeterire non liceret. Sed si quaeris ex me, quinam inter sexcentos ille sit liber historicus, ubi tum quae Pericles egerit, tum quae is in republica gubernanda spectaverit et quae inde gravissima sequuta sint, accuratissime illustrata perlegendi facultas praebeatur, ego quidem non esse, ni fallor, talem librum respondebo.

At ut ipsa brevitate rerum a viris doctis, quos duces elegeris, in medium prolatarum contentus sis (et profecto esse potes quodammodo), tamen nescio an dubitaturus sis, num rectam ad dijudicandum de Pericle viam ingressus fueris; alio enim aliae sententiae ducunt, neque, quamvis eas ex ipsis veterum testimoniis profectas esse maxime persuasum habeam, his additis confirmatae sunt.

Est autem inter ipsos antiquos de Pericle testes permagna sane controversia, sive ea respicis, quae in universum omnes ad unum de Pericle referunt, sive quae alii clara voce pronunciant, alii altissimo silentio premunt. Quantum enim inter se distant

Thucydides, Aristophanes, Plato, Diodorus Siculus, Plutarchus! et tamen ex omnibus scriptoribus, quos consulas, illi imprimis respiciendi sunt.

Haec mecum reputans, quum de Pericle ad sententiam quam certissimam pervenire vellem, censui, a principio unumquemvis antiquorum testium e sua ipsius natura singulatim examinandum esse, tum demum singulis singulorum scriptorum indiciis veritatis historicae denotatis universos inter se invicem comparandos esse, qua quidem comparatione instituta eo melius edocerer, quae conjunctiones atque necessitudines inter eos intercederent. Ita fore speravi, ut, quod historiam tractantibus illa potissimum ratione inquirendi haud raro contigisse video, aliquam securitatem atque intactam ab aliis scriptoribus libertatem judicii de Pericle servarem et meo ipse jure ad veritatem quam proxime accederem.

Disputavi in hoc libello de Thucydidis potissimum Pericle, neque quemquam miraturum esse puto, cur, quae de viro summo Thucydides memoriae tradidit, ea omnium prima in censum veniant atque nobis sint vehementissime exoptata.

Divisi autem universam de Pericle Thucydideo disputationem in tres partes, quarum prima hoc inquiritur:

Thucydides, scriptor belli Peloponnesiaci et Pericli aequalis aliisque quibusdam necessitatibus cum eo conjunctus, quomodo de Pericle referre et voluerit et potuerit?

Altera:

Qualis inde sit Pericles Thucydideus?

Tertia denique:

Quanta Thucydidis auctoritas apud nos esse debeat ceterorum scriptorum de Pericle testimonia examinantes?

Pars prima

exponens, quomodo de Pericle referre et voluerit et potuerit Thucydides, scriptor belli Peloponnesiaci et Pericli aequalis aliisque quibusdam necessitatibus cum eo conjunctus?

§. 1.

In universum de Thucydidis fide historica viri docti haud pauci disputarunt et in iis nuper Ernestus Fridericus Poppo [1]), neque male admonuerunt nonnulli, quantum utilitatis ad historiam et ad alias rerum disciplinas cognoscendas sibi vindicare possent Thucydidis studiosi; nomino imprimis Danielem Wyttenbachium, qui haec praeclare dicit [2]): „Sed in hac coarctatione ac brevitate mirabile est dictu, quam sit sensibus magnificus et sublimis (Thucydides): quam gravis sententiis: quam certus virtutum vitiorumque aestimator: quam solers et verus explicator caussarum, eventuum, prudentiae cum civilis

1) In editione Thucydidis P. I. volum. I, praecipue pag 20—58.

2) Dan. Wyttenbachius in libro, cui titulus: Ἐκλογαὶ ἱστορικαί. Selecta principum historicorum, praefat. ed. prim. §. XI.

tum bellicae: quam item sagax consiliorum et intimorum humani animi recessuum indagator: quam denique efficax rerum gestarum narrator, in quas medias legentis animus abreptus et armorum strepitum audire et caedes certaminaque praesens cernere videtur et variis deinceps commotionibus agitatur et versatur."

Attamen Thucydides minus, quam ejus dignitati atque praestantiae debebatur, et minus etiam, quam alii multi scriptores veteres illo longe inferiores, in consilium adhibitus est. Ac de hoc quoque quum alii tum Ern. Frid. Poppo jam questi sunt iidemque gravissimi exstitere defensores Thucydidis. Itaque post eos laudatione Thucydidis et universae ejus fidei historicae atque indolis libenter supersedeo: verum quum ipse singularem unius viri secundum unum Thucydidem descriptionem proponere instituerim, ita ut de toto illius opere historico ad unum Periclem et versa vice de uno Pericle ad totum opus necessario respiciatur, idcirco nunc, quatenus ad consilium meum aliquid efficiat, universam operis Thucydidei indolem mea designabo ratione.

§. 2.

Thucydides naturam atque vim belli Peloponnesiaci descripturus [3]), eamque civibus ad cogitandum propensis atque acutis quam verissimam et ab omni parte illustratam ante oculos propositurus [4]), praeter

3) lib. I, cap. 1, 19. extrem., 21. sub fin.; c. 23 et alibi.

4) I, 22; V, 26. Conf. Marcellini vita Thucydidis §. 20. et 21. apud Popp., pag. 320 et 321.

ipsas res bellicas praecipue et eas libris suis immiscuit, quae proxime atque necessario quodam modo cum bello Peloponnesiaco cohaererent vel in comparationem vocatae id illustrarent atque gravius redderent; qua de caussa altius ad res praeteritas haud paucas descendit conferens eas cum bello Peloponnesiaco [5]), commemoratque crescentem Athenarum potentiam, principatum [6]), et quae ratio inter eas atque Spartam fuerit [7]), et multa ejusmodi.

§. 3.

Jam Thucydides simulac primum continuae narrationis viam ingressus ad meditationes, quas inde non longe repetitas adnectat, pervenit, rarissime (id quo maxime differt ab Herodoto) immo invitus et, ni quid audacius contendo, cum aliqua difficultate deflectit ad remotiores campos temporum priscorum [8]).

---

5) I. 1. Conf. I. 11, 15, 19. extr. et 23.

6) I, 89—118, imprimis cap. 97, sed hoc capite alteram quoque caussam addit Thucydides, cur degressionem de aucta Atheniensium potestate annalibus suis immiscuerit, Hellanicum dico historicum, de quo conf. Dahlmanni liber: Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte, tom. II. p. I. pag. 122—132.

7) Quum alibi, tum I, 102, ubi Lacedaemoniorum in Athenienses odium ad Ithomen oppugnatam in lucem prodiisse narrat. Nonnulla inter Athenas atque Lacedaemonem comparata, quae huc pertinent, congessit e Thucydide Manso in historia Spartae tom. II pag. 5 sqq.

8) Saepius quidem Thucydides inserendo quaedam interrumpit seriem rerum bellicarum, sed paucis verbis ne-

Is autem multo plura, quam litteris mandavit, ex antiquitate novit, atque, quod Herodotus nunquam fere fecit, consulto neglexit occasiones ad explicandum maxime idoneas. Sufficiant tria exempla ad id demonstrandum. Thucydides enim, quum de Cimonis expeditione Ithomen facta atque de ejus morte ad Cyprum referret, ne verbo quidem memorat exilium Cimonis, quamquam nihil erat, cur, ne quid a loco alieni admitteret, timeret [9]. Idem bis mentione facta civium quorundam Atheniensium Spartam missorum, quum occasione quodammodo invitaretur, ut, cur missi illi fuissent, caussam breviter adderet, hanc caussam bene sibi notam non addidit [10]. Denique Corinthios idem Lacedaemoniis opprobria fecisse dicit, quia hi Athenienses nondum vocassent ad reddendam rationem de certis quibusdam rebus (id quod Corinthii saepius [11]) ab iis petiissent); tamen nihil

---

que quae degressionum quidem nomine digna sint. Verae degressiones inveniuntur apud eum rarissime, de quibus vid. Poppo p. I. vol. I. p. 60 sqq. Conf. Goellerus in libro de situ et origine Syracusarum p. 132—141, imprimis p. 139; Creuzerus de arte historica p. 272 sqq; Dahlmannus l. l. tom. II part. I. pag. 224 sqq.

9) I, 102 et 112.

10) I, 72. init. et I, 87. extrem. Profecto non latuit Thucydidem, quidnam Atheniensium legati Spartae pertractassent; aliter ille quidem cap. 87. non addidisset haec verba: *καὶ οἱ Ἀθηναίων πρέσβεις ὕστερον (ἀπεχώρησαν ἐπ᾽ οἶκον), ἐφ᾽ ἅπερ ἦλθον χρηματίσαντες.*

11) I, 68.. *πολλάκις γὰρ προαγορευόντων ἡμῶν ἃ ἐμέλλομεν ὑπὸ Ἀθηναίων βλάπτεσθαι, οὐ περὶ ὧν ἐδιδάσκομεν ἑκάστοτε τὴν μάθησιν ἐποιεῖσθε....*

commemorat priores illas Corinthiorum legationes, quibus id, quod modo dixi, petierant, quamvis ut scriptor belli Peloponnesiaci, quum ad caussas ejus quodammodo pertinerent, sine ulla dubitatione eas narrationi intexere potuisset [12]).

Omnia autem, quae a bello Medico usque ad bellum Peloponnesiacum a nationibus Graecis memorabilia peracta sunt, Thucydidi vel optime nota fuisse, jam patet e praeclaro rerum, quas ex hoc tempore profert, delectu atque conjunctione chronologica, patet etiam e securitate facti de Hellanico scriptore judicii [13]), patet denique, ut multa alia taceam, ex illa veritatis conscientia, qua in priscam patriae historiam cives suos hic illic introducit eorumque de antiquitate fabulas ludibrio habet [14]).

---

12) Iterum ac saepius quasi e consulto lectores admonere videtur Thucydides, fuisse imprimis Corinthios, qui de bello Atheniensibus internecino cogitarent. De odio Corinthiorum in Athenienses conf. lib. I, cap. 67. extrem., 68, 103. extrem., 106, 108. extrem.

13) I, 97. extrem. Conf. §. 2. not. 6.

14) Affero hunc prae multis locum I, 20, ubi animadvertas imprimis verba: *οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ᾽ ἀλλήλων δέχονται . . . . Πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἔτι καὶ νῦν ὄντα, καὶ οὐ χρόνῳ ἀμνηστούμενα, καὶ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες οὐκ ὀρθῶς οἴονται·* . . .

Thucydides et ipso hoc capite et lib. VI. cap. 54. vituperat Athenienses etiam propterea, quod de Pisistrati filiis haud accurate edocti essent, opinantes illi quidem, Hipparchum ut tyrannum ab Harmodio atque Aristogitone interfectum esse. Ex his quoque locis negari potest, Thucydidem, quum is rerum antiquarum vel falsam co-

§. 4.

Quod autem dixi eum cum aliqua difficultate a via narrationis continuae deflectere ad res ab argumento electo remotiores, id mihi quidem probabile fit ratione, qua degressiones nonnunquam adnectit rerum bellicarum descriptioni. Videas enim lib. II, cap. 15, ubi, postquam Athenienses rure degentes primo belli Peloponnesiaci anno Pericle suadente in urbem migrasse narravit, de Theseo ejusque institutis agit[15]). Adde lib. I, cap. 135, ubi illud de

---

gnitionem vel inscitiam in aliis scriptoribus luderet, praecipue in animo habuisse Herodotum. Hic quidem id ipsum, quod loco laudato Thucydides cives suos edocet, bene novit; dicit enim lib. V. cap. 55: *Ἐπεὶ Ἵππαρχον τὸν Πεισιστράτου, Ἱππίεω δὲ τοῦ τυράννου ἀδελφεὸν, ἰδόντα ὄψιν ἐνυπνίου τῷ ἑωυτοῦ πάθεϊ ἐναργεστάτην, κτείνουσι Ἀριστογείτων καὶ Ἁρμόδιος* . . .

15) Libri II. caput 15. haud obiter examinantibus Thucydides episodium ibi admittens nescio an id solum in animo habuisse videatur, ut sive ipsi sive plerisque Atheniensium gratum aliquid e prisca illa Thesei aetate repeteret. Quid enim ad hunc locum priscus et urbis et templorum situs? Et posterior Atheniensium ex agris emigratio (cf. II, 17) longe alia fuit ac Thesei tempore; namque antiquissima illa aetate non universae incolae agros reliquerunt, sed civitatum singularum magistratus in urbe degere coacti sunt. Atque Thucydides ipse cap. 15. nos docet, agricolis et fundos et eorum usum servatos permansisse integros. Quapropter si instituta atque omnino vivendi rationem illius aetatis aliquantulum respexerimus, populum Atticum ex agris et ex antiqua vitae consuetudine non cessisse oportet statuamus. Neque his verbis: *καὶ νεμομένους τὰ αὑτῶν ἑκάστους ἅπερ καὶ πρὸ τοῦ ἠνάγκασε μιᾷ πόλει ταύτῃ χρῆσθαι, ἣ ἁπάντων ἤδη*

Themistocle episodium cum iis, quae de sceleribus ab Atheniensibus atque Lacedaemoniis expiandis praecedunt, ad veram rei conjunctionem nequaquam satis comparatum videtur [16]). Immo dixerim in li-

---

ξυντελούντων ἐς αὐτὴν μεγάλη γενομένη παρεδόθη ὑπὸ Θησέως τοῖς ἔπειτα . . . aliud significari opinor nisi hoc, quum ex Thesei instituto atque commutata regnandi forma Athenae quodammodo factae essent communis omnium civitatum Atticarum imperatrix, multo majorem ab hoc inde tempore ibi fuisse celebritatem hominum et magistratus adeuntium et res ad usum quotidianum pertinentes mercantium. Adde initio belli Peloponnesiaci rusticos tantum ad tempus in urbem commigrasse, idque eos fecisse Pericle suadente atque bello premente, Theseum vero pace utentem commutationem illam effecisse et propterea quidem, ut in omne tempus futurum magistratus in urbe degerent. Qua de caussa, ni fallor, libri II. cap. 14, 15 et 16 a Thucydide non satis digne tali quidem scriptore inter se conjuncta sunt; nam solis in verbis conjunctio sita est neque res ipsae communem quandam naturam habent, quae admittat comparationem recte institutam.

16) Heilmannus, quum has res secus, ac debebant, inter se cohaerere non vidisset, minus recte ad chronologiam hunc locum vertit, quod fugit Bredovium. Conferas Heilmanni translationem Thucydidis a Bredovio emendatam, tom. I pag. 184 editionis tertiae. Res non indigna mihi quidem videtur, de qua pluribus verbis disputemus. Thucydides igitur lib. I. cap. 127 narrat, Lacedaemonios Atheniensium in Periclem odium atque inimicitiam conflaturos ab his petiisse expiationem sceleris olim in Minervam commissi. Quapropter Athenienses et ipsos (I, 128) Lacedaemoniis mandasse expianda scelera in Neptunum et Minervam commissa. At hoc scelus in Minervam commissum arctissime cohaerebat

bris Thucydidis haud raro sublucere aliquam ejus dubitationem, utrum tales res remotiores immiscendae essent necne, neque eum ulla alia caussa ad eas

---

cum Pausaniae proditione atque morte; qua de caussa hanc utramque rem narrat Thucydides cap. 128—135, cujus capitis partem priorem Heilmannus ita vertit: Diesen Fluch also, welchen, wie die Athenienser sagten, Apollo selbst dafür erklärt hätte, sollten die Lacedaemonier nun auch ihrer Seits bannen. Inmittelst schikten die Lacedaemonier neue Bothschafter nach Athen und liessen auch den Themistocles verklagen, dass er in dem persischen Verrath des Pausanias mit verwickelt gewesen, wie sich aus der gegen denselben angestellten Untersuchung ergeben habe. Sie verlangten also, dass sie denselben auch zu gleicher Strafe ziehen möchten." — Atqui duae priores illae Lacedaemoniorum et Atheniensium legationes brevi ante bellum Peloponnesiacum missae sunt. Conf. I, 125, 126. init., 127. extrem., 128. init. Quodsi Heilmanni translationem sequimur, illam Lacedaemoniorum de Themistocle legationem etiam brevius ante bellum Peloponnesiacum missam fuisse necesse est statuamus. Hoc autem bello enascente diu inter mortuos quum esset Themistocles, Lacedaemonii eum puniendum censere non poterant ut vivum. Conf. I, 138. Sed res ita se habet: Thucydides initio capitis 135 voce, qua tempus significaret, nulla usus sine dubio habuit in animo, Lacedaemonios quemadmodum Pausaniam Spartanum scelus gravissimum perpetrasse dolerent, ita Themistoclem Atheniensem ejusdem sceleris (proditionis) participem atque damnandum esse magnopere optasse. — Itaque initium capitis 135 referendum est ad tempus paulo antecedens bellum Peloponnesiacum; sunt autem haec verba: *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι, ὡς καὶ τοῦ θεοῦ ἄγος κρίναντος, ἀντεπέταξαν τοῖς Λακε-*

immiscendas permoveri potuisse, quam quod persuasum haberet, ceteras narrationes suas melius intellectum iri, ac denique necesse esse falsae istae narratiunculae permultae, quibus ad suos usque dies fidem tribuerent Athenienses, haud amplius pro veris haberentur neque non omni vi infringerentur[17]). Abstinebat igitur Thucydides rebus ad argumentum propositum non pertinentibus; sed etiam in ipso eo, quamvis multa confundendi satis materiae praeberetur, summa quaeque prae ceteris cautus ille elegit.

δαιμονίοις ἐλαύνειν αὐτό. Cetera *τοῦ δὲ Μηδισμοῦ* . . . pertinent ad tempus Pausaniae. — Neque magis apte Thucydides res connectit cap. 139, et verbis, quibus ille hic utitur, facile aliquem adducere potest, ut eandem, quam Heilmannum vitasse modo negavimus, temporis confusionem in vertendo sibi indulgeat.

17) Indicat noster hoc consilium disertis verbis VI, 54, ubi, facta mentione de Alcibiade ad poenam revocato, pergit narrare, quomodo Pisistrati filii imperio privati fuerint. Sed hae quoque res inter se non satis aptae colligataeque esse mihi videntur. Accedit huc, quod Thucydides jam lib. I cap. 20. de Pisistrati filiis quaedam inseruit et quidem ea simillima loco modo laudato libri VI, ubi nihil fere, nisi quae priore loco tantum innuit, latius perscribit (VI, 54—60). Adde ad hoc exemplum III, 104. de Rhenea insula et IV, 102. de Amphipoli urbe; nam prius jam attigerat utramque rem Thucydides I, 13 et I, 100. — Omnino autem ille bene sciens degrsssiones inseruit, quod quidem patet e lib. I, c. 97: *ἔγραψα δὲ αὐτὰ καὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ λόγου ἐποιησάμην διὰ τόδε* . . .

§. 5.

Voluit autem Thucydides, uti dixi, gravius aliquod monumentum historicum belli Peloponnesiaci relinquere; idcirco sola rerum gestarum descriptio ei non sufficiebat, sed quum eas caussis, unde vere profectae essent, ignoratis ad mentem excolendam haud multum valere, certe recte intelligi non posse ipse bene nosset, jam attendebat animum ad vires internas, quae homines ad summa quaeque et periculosissima permoverent et ad effectum adducerent; attendebat ad mutuas virium harum relationes et ad propriam naturam singulorum effectuum. Quam ob rem haec duo eum prae ceteris spectasse videmus, primum, ut quaecunque sive in conditione quadam tantum externa sita atque minus mente quam fortuna neque cum aliquo eventu gesta essent, sive quae perspicue cum ceteris rebus connexu carerent, his omnibus ad libros suos aditum aut nullum aut admodum rarum permitteret. Cum gravitate enim ac severitate docere voluit Thucydides, neque unius tantum diei aliquas illecebras rerum veterum curiosis praebere[18]). Inde etiam rarissime apud eum invenies res parvulas quidem sed tamen eas plerisque jucundissimas et quae sunt domesticae populorum narrationes[19]).

---

18) I, 22. sub fin. ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων τὸ σαφὲς σκοπεῖν . .

19) Sed his quoque in rebus mentis severitatem ostendit saepius addens de vulgi opinionibus censuram. Huc pertinent ea, quae de oraculo vulgo ad pestem relato annotat II, 54. Quo cum judicio conferenda sunt, quae

Alterum autem id spectavit, ut juxta diligentissimas descriptiones earum rerum, quas ei gravioris momenti atque certis testimoniis satis confirmari visas esse diximus, in intimam naturam et singulorum hominum et totarum omnino civitatum, quibus hi praeessent, intrare eamque summa cum fide in medium proferre studeret. Et audacter profecto ille, quae aliis plerisque vera in his rebus videbantur, vel contempsit atque silentio praeteriit vel falsa ea esse ostendit[20]), neque immemor officii sanctissimi, quo

---

alibi de vulgi opinionibus atque omnino de hominum natura ad levia et falsa proclivi censet, praecipue I, 20, 21, 22 et V, 26, ubi animadvertas verba *καὶ τοῖς ἀπὸ χρησμῶν τι ἰσχυρισαμένοις* . . .

20) Haec praecipua fuit caussa Thucydidi, quod ab annalibus suis semotas tenuit istas narratiunculas, quales homunciones per urbes divulgant, vulgus cupide amplectitur, denique quibus factum est, ut saepissime nihil nisi fictiones et simulacra rerum gestarum et ingeniorum in libris historicis inveniamus. — Ad demonstrandum id, quod supra contendi, argumenta ex illis quoque locis peti possunt, ubi ex antiquitate quaedam Thucydides passim inserit. Proponam hic diversa Thucydidis atque ceterorum Atheniensium de Pisistratidis judicia. Scilicet omnes fere Athenienses grata quadam et laeta memoria ad Harmodium et Aristogitonem respiciebant eosque laudibus efferebant, sed Thucydides de illis idem, quod ceteri cives, adeo non sentiebat, ut Hippiam et Hipparchum, qui vulgo homines scelerati fuisse videbantur maximeque invisi erant, laude non indignos censeret atque tales commemoraret. Conf. VI, 54 sqq., praecipue haec verba capit. 54: *οὐδὲ γὰρ τὴν ἄλλην ἀρχὴν ἐπαχθὴς ἦν ἐς τοὺς πολλοὺς, ἀλλ' ἀνεπιφθόνως κατεστήσατο· καὶ ἐπετήδευσαν ἐπὶ πλεῖστον δὴ τύραννοι οὗτοι ἀρετὴν καὶ ξύνεσιν, καὶ*

perfungi apud se statuerat, altius omnibus aliis auctoribus in intima pectoris atque animi humani descendens, ea, quae *πάθη* optime dicunt Graeci, circa circum illustravit atque inde facinorum conditiones pendere, judicavit. Conatus est autem illustrare hoc modo, ut singulos singularum nationum potissimum, quae bello Peloponnesiaco intererant, mores et ingenia accurate discerneret earumque in rebus gubernandis consilia cognosceret.

Haec autem omnia vere voluit Thucydides: sunt documento cum universi operis historici permulti loci [21]), tum id ipsum, quod opus illud sane difficillimum eodem, quo suscepit, studio continuavit et ut perfectissimum redderet, nec tempori, nec viribus nec denique pecuniae pepercit.

§. 6.

Ac libentissime Thucydidem de hominum civitatumque natura meditatum fuisse (ad quod prae-

---

Ἀθηναίους εἰκοστὴν μόνον πρασσόμενοι τῶν γιγνομένων, τήν τε πόλιν αὐτῶν καλῶς διεκόσμησαν, καὶ τοὺς πολέμους διέφερον καὶ ἐς τὰ ἱερὰ ἔθυον· τὰ δὲ ἄλλα αὐτὴ ἡ πόλις τοῖς πρὶν κειμένοις νόμοις ἐχρῆτο, πλὴν καθ᾽ ὅσον ἀεί τινα ἐπεμέλοντο σφῶν αὐτῶν ἐν ταῖς ἀρχαῖς εἶναι. — Quae dicit Thucydides de Hippia cap. 55, ea non pro vituperio habenda sunt; conf. cap. 57 verba: *ἦν δὲ πᾶσιν εὐπρόσοδος ὁ Ἱππίας.* — Marcellinus in vita Thucydidis §. 18 de hoc episodio nequaquam audiendus; etenim ab ejusmodi studio Thucydides plane alienus. —

21) Prae ceteris fere omnibus confer III, 82, 83, 84. Etiam id observandum est, Thucydidem, quum opes atque auxilia, quibus gentes ad praeclare facta adjutae fuerint, commemoret, tum saepissime rationem habere gentium naturae atque indolis.

ceptores ejus sine dubio permultum contulerunt[22]) satis demonstratum esse puto; sed etiam felicissimus scriptor est ille in meditando et, cui his in rebus summam fidem habeamus, dignissimus. Quod quidem et ipsi, qui obiter tantum ejus indolem respexerunt, mihi concedent. Sed non opus est his testibus: multo magis nobis persuadent singula quaedam libris ejus propria, et in iis perpensae illae quidem et a communi vita abhorrentes cogitandi et loquendi rationes: persuadent plurimae sententiarum conjunctiones atque conclusiones et eae maxime singulares: persuadent illae multitudines locorum communium aliarumque cogitationum nonnullis molestae, quas gravioribus oratorum sententiis interseruit: persuadent denique, ut alia praetermittam, illa discrimina maxime accurata, quibus alias esse sententias civitatum, alias singulorum oratorum, alias suas ipsius indicare vult. Licere censeo praetermitti argumenta harum rerum, quas nunc breviter attigi; unum tantum affero: auctae Atheniensium potentiae recensionem, quam contendo nobis esse debere maxime acceptam[23]).

Ibi enim, quum Thucydides singula ad principatus cacumen vestigia brevissime quidem, sed luculentissime designet, simul et optime nobis proponit

22) De praeceptoribus Thucydidis confer. Poppo I, 1. p. 25; Marcellini vita Thucydidis §. 22. et nota l. apud Popp. I, 1. pag. 321.

23) Jam saepius mentionem feci illius episodii (I, 89—118), sed alio quoque loco ob aliam caussam. Conf. §. 2. et textus et nota 6.

Athenienses atque Lacedaemonios jam a natura inter se discrepantes, proponit Athenienses in dies majora et plura raptim petentes, Lacedaemonios legum veterum observantia quasi lentos atque invitos utentes: quum autem scriptor noster ad ea, quae ibi refert, ob hanc ipsam naturae atque morum controversiam Athenienses et Lacedaemonios etiam in vita publica sibi invisos factos esse adnotet, eo ipso prodit, se vidisse, quod omnes fere Graecos praeteriret, certe quod perpauci palam pronuntiarent [24]. Omnino autem quum aliter, tum ab hac laude Thucydidem felicissimum esse facile intelliges, si locos, ubi de caussis belli Peloponnesiaci agit, iterum atque tertio perlegeris [25].

Sed quid plura? Verbo ea, quae huc usque disputata sunt, repetamus: Thucydides utpote rerum civilium apprime gnarus libentissime explicat hominum vitam publicam, et, ut erat ingeniosissimus, altiore quadam contemplatione eatenus potissimum commo-

---

24) Quomodo a bello inde Medico usque ad bellum Peloponnesiacum creverit Lacedaemoniorum in Athenienses suspicio atque odium, his locis praecipue perspicitur: I, 90, 92; I, 102; I, 118.

25) Ad quam rem confirmandam praecipue valet lib. I. c. 88. Conf. I, 118. et 23. extr. Ad haec, quia res sane gravissima est, conf. IV, 20, ubi legatus quidam Lacedaemoniorum anno belli septimo Athenis ita dicit: πολεμοῦνται μὲν γὰρ (οἱ Ἕλληνες) ἀσαφῶς ὁποτέρων ἀρξάντων . . . .

ratur in hominum politicorum consiliis atque affectibus, quatenus ad vitam publicam et ipsorum et civitatum aliquo momento ea fuisse persuasum habeat.

§. 7.

Jam his disputatis ad ipsum Periclem aditus patet; etenim jure nostro speramus, fore, ut Thucydides, quae ad Periclis vitam publicam pertineant, ea potissimum narrarit, sed ipsa haec fusius quidem eatenus, quatenus ad bellum Peloponnesiacum et ad ultimos Periclis annos referri possint. Est autem revera apud Thucydidem fusior de Pericle relatio [26]) eademque nobis persuadet, quaecunque is de viro summo memoriae prodenda elegerit, quum multo plura narrare potuisset, illa memoratu longe dignissima fuisse; etenim Thucydides quum sit scriptor cautus, accuratus et systemate diligenter composito utens (id quod supra disseruimus), nihil est, cur putemus eum unquam oblitum fuisse, viros summae in negotiis publicis auctoritatis ita nobis proferre, ut, quales quantique in vita fuissent, tales in libris quoque apparerent, et hoc modo lectores quasi admonere, ut viros illos attentius iterumque contemplarentur. Immo Thucydide familiariter utentes meminerint, quaeso, eundem, quum alibi, ne morando excedat

---

26) Cuncta, quae de Pericle Thucydides refert, his locis continentur: lib. I. cap. 111, 114, 116, 117, 127, 139, 140—145; lib. II, cap. 12, 13, 14, 21, 22, 31, 34—46, 59—65; lib. VI. 31. — Latius coepit perscribere de Pericle Thucydides a capite 127 libri I; qua de re conf. §. 9. nota 40.

pressa vestigia narrationis [27]), magnopere caveat, in ipsis virorum illorum ingeniis adumbrandis minus anxie commorari. Neque non id bene notandum est, partim orationes virorum, quos dixi, accuratiores atque longiores esse, partim eum (quod omnium maxime observandum censeo) singulare judicium ut suum de oratorum rationibns et de rebus vere historicis adnectere, idque ipsum interdum facere, etsi eae per sese clarissimae sint. Ita facit in Themistocle describendo, quamquam, si hos locos (vid. lib. I, cap. 135—138.) strenue examinaverimus, ibi bonam commorandi occasionem fuisse negabimus. Et sic de Archidamo, de Alcibiade aliisque viris gravissimis judicia immiscuit rerum gestarum narrationibus: omnino autem concedendum est, ibi meliores, quam de Themistocle, occasiones fuisse judicia inserendi [28]).

---

27) Thucydidis vim narrandi Cicero paucis verbis praeclare depinxit ita: „Thucydides incitatior fertur et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum. Orator cap. XII. —.

28) Quam ob rem miror, Thucydidem ne verbo quidem neque ingenio neque moribus Cimonis describendis operam dedisse. Ad eam descriptionem sane illi tantum loci apti erant, ubi res, quae a bello Medico inde finito usque ad bellum Peloponnesiacum ab Atheniensibus gestae erant, memorat, quamvis his ipsis descriptionis partibus vel incitatissimum ferri ad alias res Thucydidem me non lateat. (Conf. I, 98, 100, 102, 112.). Attamen quantum morae ad designandum Themistoclis ingenium naturamque ille sibi condonasset, tantum Cimoni, si voluisset, ex operis indole facile tribuere potuisse mihi persuasum habeo; neque minus Themistocle Cimonem ei

Sed si animum attenderimus ad ipsam vim judiciorum et ad ea praecipue, quae majore diligentia protulerit Thucydides, denique quonam tempore et quibus conditionibus viri illi vixerint, jam videbi-

---

notum fuisse ullo modo contendi licet; erat enim Thucydides, Cimone diem supremum obeunte (449. a. Chr. n.) ultra viginti annos natus. Conf. §. 8. not. 31. At quum Thucydides ex universa annalium suorum natura, uti jam supra monitum est, facile nobis probetur accuratissime et nosse et verbis distinxisse, quibusnam rebus aliqui viri insignes excelluissent, quantamque vim in res publicas habuissent, idcirco conjecturam facio, eum de Cimonis ingenio nihil attulisse propterea, quod illum ea ingenii atque animi magnitudine, qua ornati perpauci tantum quovis tempore viri universum totius populi statum publicum procurarent, haud praeditum fuisse censeret. Namque si de Cimone aliter censuisset Thucydides, atque eum tanti, quanti Themistoclem ac Periclem, in rebus publicis gubernandis habuisset, profecto propterea, quod de Cimonis ingenio agendique ratione et ejus in rebus forensibus auctoritate nihil nos edocuisset, aliquo vituperio dignus esset, immo illa, qua huc usque gaudet, justissimi atque accuratissimi scriptoris laude quodammodo privandus. Nemo autem putabit, Thucydidem, qui tot annos, tantum studii ad opus perficiendum consumebat, modo scriptorum incuriosorum per oblivionem de Cimone tacuisse; neque ullam aliam de hoc silentio suspicionem movent testimonia veterum, immo ad augendam potius Cimonis gloriam Thucydides facile perduci poterat, si omnino de eo quidem tale quid statuere liceret; necessitate enim conjunctus erat Cimoni. Conf. Plut. vit. Cim. cap. 4. et Marcellini vit. Thucyd. §. 2., apud Popponem I, 1. pag. 312 sqq. Sed haec de Cimone sufficiant, etsi alia materia de viro summo disputandi haud exigua mihi ad manus est.

mus, eum, quo melior vitam publicam nonnullorum virorum cognoscendi facultas fuerit, eo pluribus verbis de ipsis fere semper judicasse. Sed haec ita accepta velim, ut ille, quum in viris quibusdam, quamvis haud mediocrium rerum auctoribus, tamen ingenii mediocritatem atque morum pravitatem cognorit, tum fere de iis aliquo contemptu tacere, certe paucis admodum verbis ut suis eos designare mihi quidem videatur. Affero Cleonem istum, quem breviter vituperasse satis ille habebat contemnens populi corruptorem [29]. De Pericle autem amplius extat judicium atque celeberrimum illud quidem, quod exempli instar omnibus, qui ad ingeniorum morumque descriptiones se accingunt, ante oculos esse debeat [30]. Et profecto, si tum hoc de Pericle judicium tum cetera, quae de eo tradit, cum aliis operis Thucydidei partibus compararis, nescio an locos, quibus de Pericle agitur, omnino inter locos maxime perpolitos universi operis numeraturus sis.

§. 8.

Optima autem fuit Thucydidi occasio cognoscendi, quas res Pericles perfecisset, quoque modo,

---

29) Lib. V. cap. 7., *καὶ ἐχρήσατο* (Amphipolim enim tunc temporis, anno belli decimo, capere voluit Cleon) *τῷ τρόπῳ ὧπερ καὶ ἐς τὴν Πύλον εὐτυχήσας ἐπίστευσέ τι φρονεῖν.* Cum his salse dictis conferenda sunt judicia sane severa, quae leguntur III, 36. extrem, et V, 16.

30) II, 65.

et quae consilia persecuturus esset; neque cum alio viro ullo, quorum in libris de bello Peloponnesiaco mentionem facit, tot intercesserunt necessitudines atque ad veritatem consignandam tot adjumenta, quot cum Pericle ei fuisse probari potest. Erat enim ejus aequalis, annis haud nimis inferior, certe ea aetatis differentia atque conditione, qua discrimen decem, immo viginti annorum levioris momenti esse ad res cognoscendas censuerim[31]. Eadem, qua Pericles,

---

31) Bello Peloponnesiaco exoriente quot annos Pericles natus fuerit, de hac re certum indicium invenire non potui; sed tamen ad verisimilitudinem accedere fortasse mihi contigit hoc modo. Etenim forma atque vis, quae Periclis orationibus a Thucydide quodammodo servatis propriae sunt (cf. praecip. §§. 15, 16, 17.), redolent virum sane permultum in vita versatum atque ob grandiorem aetatem et ob curas haud mediocres severe graviterque sentientem, sed nequaquam senili quadam debilitate anxium atque pressum, et qui ipsum statuerunt tanquam senem haesitantem defendendo gessisse bellum Peloponnesiacum, eos viro illo aliquid indigni statuisse haud difficili negotio demonstrari poterit. Neque Pericles ipse excipi vult, quum in oratione funebri lib. II, c. 36. dicat: *τὰ δὲ πλείω αὐτῆς (ἀρχῆς) αὐτοὶ ἡμεῖς οἵδε, οἱ νῦν ἔτι ὄντες μάλιστα ἐν τῇ καθεστηκυίᾳ ἡλικίᾳ ἐπηυξήσαμεν,* . . Haec verba neque cum Heilmanno ita verterim: „Den stärksten Zuwachs indessen haben wir selbst, wir, die wir in dem gegenwärtigen Menschenalter leben, derselben (der Herrschaft) verschafft: neque cum Gottlebero ita explicuerim: Pericles suam aetatem belli pacisque artibus florentissimam *ἐν ἀκμῇ* fuisse dicit. Cf. Platonis Menexenus et Periclis Thucydidei oratio funebris (Lips. 1782.) pag. 78. not. Multo propius accedo ad sententiam Bredovii verba

gaudebat patria, eodem praeceptore, immo ipsum Pericle usum atque ejus de rebus politicis rationem sentiendi aliquantum amplexum esse contendo[32]).

---

illa germanice reddentis hoc modo: „Wir, die wir jetzt noch durchaus in der dauernden Blüthe der Jahre, in voller Lebenskraft sind.“ Vid. not. Bredovii ad Heilmanni Thucydidem tom. I. p. 259. edit. tertiae. Namque aucta vis quaedam inest huic Periclis sententiae: nos, qui nunc rempublicam administramus bellumque pro ea gerimus, huc usque omnium maxime de patria meriti sumus et ipsi ea aetate, ut etiam in tempus futurum vires sufficiant ad perficiendas res gravissimas. Denique Pericli Athenienses haud multo prius, quam moreretur peste correptus, denuo rempublicam curandam tradiderunt (II, 65.), quod certe illi quidem non fecissent, si Periclem ob senectutem ab ingenii viribus destitutum intellexissent. Propterea conjecerim, bello Peloponnesiaco exoriente Periclem fere medium inter viros quinquagenarios et sexagenarios fuisse, certe haud multo plures, quam sexaginta annos superasse.

Jam Thucydides ipse initio belli Peloponnesiaci natus erat annos circiter quadraginta, Pamphila quidem teste. Conf. Aul. Gellii Noct. Attic. XV. cap. 23. Fusius de aetate Thucydidis Dodwellus in Annalibus Thucydideis et Xenoph. pag. 19, 20 (Oxon. 1702), quibus compar. pag. 26 et 27. Conf. Poppo I, 1. pag. 22. et Bredovius ad Heilmannum in praefat. pag. VII. Thucydides ipse de aetate sua indicium certum non addidit; sed quae lib. V, c. 26. obiter de ea dicit, haec nihil repugnant Pamphilae testimonio exhibente certum annorum numerum.

32) Quod liquet ex laude, qua Thucydides Periclem prae ceteris effert II, 65. Sed hoc non patet e libris Thucydidis, quam imprimis civitatum gubernandarum for-

Idem quum bellum gravissimum exoriturum esse praesagiisset, et hoc, quod diligentissime conscriberet, dignum censuisset[33]), sine dubio magnopere intentus erat ad omnem Periclis modum agendi, quem etiam prius a nostro accurate observatum esse vel inde mihi persuadeo, quod omnino in observandis hominum consiliis rerumque rationibus summum studium nunquam non collocabat. Postea Pericle supremos vitae annos transigente et eos quidem, quos Thucydides memoriae prodidit, hic eo aetatis pervenerat, ut satis multa expertus tum de viro illo tum de bello Peloponnesiaco mente sane exculta observare posset[34]); et res gestas, uti nunc quidem apud eum leguntur, non prius, quam inter antiquas fere numerari coepissent, conscribebat[35]). Intra hoc

---

mam ipse adamarit. Est enim maxime cavendum, ne, quomodo de hac re sane gravissima in orationibus duces sentiant, eum ipsum ita sensisse putemus, quod accidit, ni fallor, nonnullis viris doctis, qui, quum et oratorum et Thucydidis ipsius cogitata confudissent, hunc scriptorem contra semet ipsum pugnantem atque iterum ac tertio unas easdemque res proferentem haud scientes quidem nobis proposuerunt. Nam, ut cetera taceam, et democratiae et oligarchiae, quam Graeci dicebant, laudes ac vituperia mixta in libris Thucydidis inveniuntur.

33) I, 1. et alibi.

34) Ipse hoc dicit et quidem ita, ut ejus verba ad omne belli tempus referenda sint. V, 26.

35) E libri V. capite 26. liquet, demum post urbem Athenarum a Lacedaemoniis captam libros de bello Peloponnesiaco magnam in partem ita, uti nunc sunt, a Thucydide redditos esse. Id etiam ex aliis eorum locis haud

autem temporis spatium ad priora earum testimonia accesserant recentiora quaedam et ea ab altera parte in lucem prolata, ita ut ad errores, si qui in libros irrepsissent, tollendos facile adhiberi possent, idque a scriptore otio valde exoptato utente. Jam quum a rebus iterum contemplandis longius abesset Thucydides, eo major facultas vera videndi praebebatur. Quem enim latet, rebus praesentibus oculos atque mentem nostram saepissime obcoecari et res ipsas, quum praesentes sint, a nobis confundi?

§. 9.

Jam sequitur, ut inquiramus, num Thucydides, quum optima ei esset occasio de Pericle notandi, veritatem sine ullo erga virum studio litteris mandarit? nihil enim juxta narrationem rerum gestarum nisi laudes Periclis invenies.

Ac profecto natura hominum ita comparata est, ut senes facti ad alacritatem aetatis suae juvenilis atque virilis frequentissime refugiant, quasi solatia quaedam inde repetentes, immo et res et homines temporis illius ut acti etiam meliores fuisse dicant atque mitius de iis judicent, quam de hominibus et rebus

---

paucis patet, quum ille de rebus futuris tanquam diu peractis loquatur. Conf. I, 13, 18, 23; II, 65, 100; VI, 15. — Haud magni habenda sunt Ciceronis verba: Hos libros tum scripsisse dicitur (Thucydides), quum a republica remotus atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exilium pulsus esset. De oratore lib. II. cap. 13.

dierum praesentium, ubi, dum ipsi ob senilem debilitatem languidiores sint in agendo, morosiores in sentiendo, juvenes atque viri circa viventes, ut sunt vigore animi et corporis, alio sentiendi agendique utantur modo. Atque imprimis Thucydides (conscribebat autem, uti constat, libros, quales nunc habemus, senex grandaevus) quum patriam vehementissime perturbatam atque vexatam neque non istos post Periclem populi actores sive ingenio plane destitutos sive moribus maxime corruptos videret [36]), facile permoveri poterat, ut nimio desiderio ad Periclem refugeret atque cum studio de eo dijudicaret.

---

36) In universum de morum pravitate conf. III, 82. sub fin. III, 83. clara haec verba, „καὶ οἱ φαυλότεροι γνώμην ὡς τὰ πλείω περιεγίγνοντο.“ Populi Attici principes et actores perstringit Thucydides imprimis II, 65; VI, 15, 28 et 29. — Haud obscure indicat ille III. 85, a quinto demum belli anno Graecorum animos magis magisque ad prava declinare coepisse; quod testimonium valebit profecto ad infringendam sententiam eorum, qui Periclem cujusvis morum depravationis auctorem esse dictitant.

De viris, qui post Periclem populi caussam egerunt, conf. Frid. Kortümii de Cleone fragmentum (quod est in libro: Philologische Beiträge aus des Schweiz, edito a Ludov. Doederlein et Jo. Henric. Bremi, tom. I. pag. 35—60.) et: Zur Geschichte Hellenischer Staatsverfassungen, praecipue p. 176—186, cui appendici titulus est: Ueber Attische Demagogie, hauptsächlich in der letzten Hälfte des Peloponnesischen Krieges. Cf. Zur Geschichte der Demagogie in Griechenland von Franz Passow, in libro a Ludovico Wachlero edito: Philomathie tom. III. pag. 269—308. Huc pertinent praecipue pag. 287. sqq.

Adde nostrum simili quodammodo cum Pericle fortuna usum esse; namque ipse narrat, se rebus ad Amphipolim ex arbitrio Atheniensium haud bene gestis iram civium in se convertisse, quod idem accidit Pericli peste grassante atque Lacedaemoniis Atticam devastantibus [37].

Haec quidem omnia aliquam dubitationem movere possunt (et moverunt nonnullis), Thucydidem res illas retulisse magis in vituperium Atheniensium et in laudem Periclis, quam ad veritatem.

Sed haec dubitatio nulla est. Nam Thucydides, ut primum ad postrema respondeam, capite illo, ubi de semet ipso deque exilio mentionem facit, vel brevissimo de Atheniensibus judicio abstinet, et ubi de Pericle calumniis insectato atque honoribus privato loquitur, neque ipsi aliquid laudis vel excusationis tribuit, nec populo Atheniensi sola ira atque animi contractione ad male agendum deducto majora, quam quae etiam lenissimus judex facturus fuisset, opprobria facit [38]. In ipsa autem narratione rerum, quae huc pertinent, tam simplici orationis genere utitur, ut (et est hoc summum, quod statuo) unus

---

37) De Thucydide ipso V., 26; de Pericle II, 21, 59, 65. De exilio Thucydidis conf. H. Dodwelli annales pag. 24.

38) Athenienses Periclem pecunia mulctatum omnibusque honoribus privatum paulo post restituerunt in integros omnes honores. De tali ratione agendi Thucydides haec tantum verba ad rem adjungit ut judex: ὅπερ φιλεῖ ὅμιλος ποιεῖν. . . II, 65. Conf. IV, 28, ubi fere eadem: οἷον ὄχλος φιλεῖ ποιεῖν.

fortasse Dionysius Halicarnassensis eum ut injustum vera confudisse voluerit.

Jam eadem narrandi simplicitas in ceteris locis, ubi de Pericle agit Thucydides, reperitur[39]; est ibi eadem moderatio, eadem severitas, quae in universo ejus opere historico perspicitur.

At videamus primum locos, ubi breviter Thucydides referens res ante bellum Peloponnesiacum gestas narrat. Omnibus his locis ille de Pericle mentionem facit quam brevissimam[40] neque aliam ac de ceteris Atheniensium ducibus e. g. de Tolmida[41]; immo putes, eum quasi consulto cavisse, ne lectores prius, quam res ipsa postularet i. e. quam bellum modo exoriturum exortumque narraret, imprimis ad Periclem animum attenderent. Namque haud paucae ibi occasiones erant et optimae illae quidem alia quaedam de Pericle adnotandi, neque erat, cur, si hoc fecisset, blanditiarum accusandus esset. Erant autem hae potissimum occasiones: dicit enim Thucydides, etiam multo prius, quam bellum Peloponnesiacum exardesceret, Periclem apud Athenienses

---

39) Conf. §. 7. not. 26.

40) E. g. I, 111. *Περικλέους τοῦ Ξανθίππου στρατηγοῦντος* (Athenienses tum faciebant expeditionem in Sicyonios); I, 114 nihil nisi nomen Periclis Thucydides affert, et I, 116. Periclis adversus Samios expeditionem narraturus breviter de Pericle dicit: *Περικλέους δεκάτου αὐτοῦ στρατηγοῦντος.* — Sed I, 127. pluribus verbis atque cum aliqua distinctione de eo referre coepit, neque caussa hujus rei perspectu difficilis est; nam ad ipsum belli initium jam accedit Thucydides loco laudato.

41) De Tolmida I, 108.

fuisse summa auctoritate[42]; neque tamen, quas res ille hac ipsa auctoritate gaudens ante bellum domi perfecerit plurimas, nullas nos docet singulas[43]. Immo tantum abest, ut Periclem certarum rerum auctorem fuisse prodat, ut populum Atheniensem illius loco nominet, populum, quem saepissime invitum ad consilia ineunda et persequenda a solo Pericle allectum esse satis constat[44].

Itaque Thucydides, quemadmodum in ceteris rebus, quas memoriae prodit, item in Pericle describendo studii quaesiti nihil sibi permisit, et si qua in re lapsus fuerit, ille omnino naturae humanae aliquantulum tribuit, ob vim, dico, aevi, qua omnes homines premantur; sed quod attinet ad hoc, si cuiquam, profecto Thucydidi fidem fere integram servabimus, modo eorum, quae prius disputata sunt, meminerimus.

§. 10.

Longe latissimam disputandi materiam nobis

---

42) II, 65: ὅσον τε γὰρ χρόνον προὔστη τῆς πόλεως ἐν τῇ εἰρήνῃ. . .

43) E. g. I, 107, ubi de muris refert. Cum hoc capite conferenda sunt ea, quae antecedunt et quae sequuntur proxime. Sed de his rebus alio quodam loco.

44) Omnino me non praeterit, non singulis viris illustribus, sed toti civitati res gestas etiam ab aliis scriptoribus tribui. Noster quidem fere semper ita fecit; sed facillime poterat nonnunquam de Pericle haec fere verba inserere Περικλέους γνώμῃ, uti inseruit de Themistocle I. 90.

praebent apud Thucydidem conciones Periclis; inde ut veritas historica perspiciatur, quo loco positi contemplationem instituamus imprimis videndum est. Ac Thucydides ipse locum illum innuit, sed tantum innuit, habet enim lib. I. cap. 22. ita: „*Καὶ ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον ἕκαστοι, ἢ μέλλοντες πολεμήσειν, ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες, χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἦν, ἐμοί τε ὧν αὐτὸς ἤκουσα, καὶ τοῖς ἄλλοθέν ποθεν ἐμοὶ ἀπαγγέλλουσιν· ὡς δ' ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστα εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται.*“ Uno hoc totius operis capite edocemur, quomodo Thucydides ad orationes conscribendas materiam vere historicam adhibuerit; sed quo melius rém intelligamus, eo magis verba, quae modo attuli, cum his, quae sequuntur, comparentur necesse est. Pergit autem Thucydides ita: „*τὰ δ' ἔργα τῶν πραχθέντων ἐν τῷ πολέμῳ οὐκ ἐκ τοῦ παρατυχόντος πυνθανόμενος ἠξίωσα γράφειν, οὐδ' ὡς ἐμοὶ ἐδόκει, ἀλλ' οἷς τε αὐτὸς παρῆν, καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐπεξελθών· ἐπιπόνως δὲ εὑρίσκετο, διότι οἱ παρόντες τοῖς ἔργοις ἑκάστοις οὐ ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν ἔλεγον, ἀλλ' ὡς ἑκατέρων τις εὐνοίας ἢ μνήμης ἔχοι.*“

Ad ea omnia interpretanda primo nihil respicio dilucidationes virorum doctorum de Thucydide agentium, quamquam in iis sunt summi ac maxime mihi colendi; sed ad fontem ipsum permanebo atque exinde, quum aliquam controversiam cum iis mihi esse videam, vires hauriam ad repugnandum.

Thucydides igitur universam de bello Peloponnessiaco materiam, quam brevitatis caussa dixerim historicam, divisit in duas partes, in orationes atque res in bello gestas. Is etiam caute distinxit suas in his utrisque methodos criticas; etenim rerum gestarum solam veritatem historicam, quam maxime poterat, in libris reddidit; quapropter et ea, quae de rebus secum ipse interdum cogitarat et quae ex aliis hominibus sed iis non sat fidis audierat, sine ulla dubitatione rejecit; adeo diligentissime vel singula quaeque perquisivit, et, ut fidem tribueremus rebus relatis, prudens ille addidit: rerum veritas inveniebatur (ac sane difficillimo interdum negotio). Sed de concionibus tale quid nihil addidit, immo verbis illis χαλεπὸν . . . . ἦν, ni universae sententiae nexum male intellexi, quasi hunc sensum inesse statuerim: „longe difficilius erat negotium, quam ut singula quaeque ab oratoribus dicta memoria tenere possem."

Attamen quum Thucydides mox dicat, se summam sententiarum in orationibus conscribendis quam maxime respexisse, illam reminiscendi difficultatem ad singulas quasque notiones levioris momenti atque ad vere restitutam conjunctionis cohaerentiaeque integritatem et quae alia sint ejusmodi, referendam esse haud dubie voluit indicare.

Porro Thucydides, ut ex capite laudato liquet, quemadmodum nonnullis rebus in bello gestis adfuit, ita nonnullas etiam orationes ipse audiit; neque de ceteris, quas audiendi nulla ei erat occasio, nuncio cuilibet aures praebuit, sed, ut de omnibus rebus gestis, ita, dico, de ceteris his orationibus testes fide

dignissimos strenue examinavit, si quidem verba *τοῖς ἄλλοθέν ποθεν ἐμοὶ ἀπαγγέλλουσιν* nihil nisi opposita esse censueris his *ὧν αὐτὸς ἤκουσα*, atque fere idem significare, ac si Thucydides dixisset: quaecunque orationes alicunde locorum, atque ipse eram, habitae fuerant, de iis alios in examen vocavi.

Ac Thucydides est severus, ne dicam, inexorabilis veritatis amicus et defensor, qui qualis sit, lectores hic illic ipse admonet, neque in ipso loco laudato illius admonitionis, cujus summas ei debemus gratias, immemor fuit. Etiam crescit inde fides nostra, crescit amor noster atque reverentia in eum imbecillitatem vera cognoscendi libere simpliciterque profitentem. Sed quum ita res se habeat, quid fuit, quod Thucydides orationum materiam historicam quasi ex arbitrio tractaret, atque huic e sua ipsius mente notiones quasdam immisceret? Nonne is in hac re, quum alias sibi semper constans permansisset, sese ipse deseruit? Qui denique fieri potuit, ut referendo sola argumenta orationum, quae vere historica esse sciebat, non ubique contentus esset, quum esset nonnunquam, ut lib. II. c. 13. et 20., quorum priore loco affert summam unius orationis Periclis, altero Archidami regis suam agendi rationem excusantis? Conf. quae Thucydides narrat lib. III., 71. de Corcyraeis quibusdam; lib. IV., 21, 22. et 27. de Cleone; lib. IV., 97. et 98. de Boeotorum et Atheniensium caduceatoribus; IV, 114. de Brasida. VI, 72. de Hermocrate, VII, 47. de Nicia et 49. de Demosthene.

§. 11.

Quid consilii hac in re Thucydidi fuerit, ipse disertis verbis nusquam nos docet; sed si lib. I. cap.

22. iterum perlustraverimus, atque temporis rerumque civilium, quales Thucydidis quidem aevo in Graecia fuerint, rationem habuerimus, is certe nihil nisi vitam publicam in libris imitari voluisse nobis videbitur. Verba namque facere ad multitudinem forensem et ad exercitum, erat ex universa illa civitatum Graecarum conditione, idque vel maxime. Quodsi rerum scriptores partem illam vitae publicae longe spectatissimam in libris historicis ad vitae consuetudinem non conformassent, profecto id mirum esset; immo eos contenderim necessitate quadam suae ipsorum naturae atque indolis ad talem conformationem quasi coactos esse et plerosque hac in re obsequentes paene immemores fuisse, quid esset, quod facerent. Namque illo adhuc tempore omnes fere scriptores rerum ingenia ita exculta habebant, ut multo magis, quam nunc viris doctis accidere solet, populares essent et esse vellent, neque doctrina quadam rebus humanis intacta a saeculo abalienati viderentur.

At verum est, Thucydidem plerisque sui aequalibus aliquanto superiorem fuisse, et, quae faceret quamque ob caussam, ea diligentissime secum animo prius volutasse, luculenterque perspexisse; sed eo ipso, quod ille, cur orationes historiis inseruisset, nihil protulit, ac si hoc omnibus per se clarum esse praesumtum haberet, mihi quidem persuadetur, Thucydidem ob nullam aliam caussam orationes admisisse, nisi quod eas magnam vim in vita publica habere sentiret.

Ad haec accedit, quod Thucydides ad meram vitae formam imitandam eo magis convertebatur, quo propinquior ad res ipsas adesset testis, et quo magis ab ista multorum vanitate scribendi scriptaque in me-

dium proponendi abhorrescens nobiliore quadam animi vi, quapropter et civium suorum et omnino principum in Graecia nationum res gravissimas litteris mandaret, permoveretur. —

Itaque etiam Thucydides temporum moribus aliquantulum indulsit immixtis historiae orationibus, quas, si tradendi formam spectas, vere historicas non esse ipse dicit; sed idem multo magis, quam alii, veritatis studio obsequutus est, addens rationem, qua usus esset in orationibus conscribendis. Est autem hoc ipsum in Thucydide veritatis studium, propter quod negemus, eum ad solum arbitrium orationum historicarum materiam cum suis ipsius commentis conglomerasse, immo fictas orationes, fictos oratores inseruisse. Quod si hoc fecisset, quid illa verba lib. I. cap. 22. *ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον ἕκαστοι* ... et *ὡς δ᾽ ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι ... εἰπεῖν*, et *ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων* ... ?

Tum profecto Thucydides fere oblitus fuisse videretur, se lectores, quantum utilitatis e libris de bello Peloponnesiaco percipere possent, eodem capite paullo post illa verba pronunciata admonuisse; immo sine ulla quidem injuria in eum animadvertendum esset idem, quod ipse in scriptores veritatis incuriosos animadvertit [45].

---

45) I, 22. .. *καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέστερον φανεῖται* ... et quae sequuntur. Etsi haec verba, quibus indirectum in modum Thucydides narrationes magis jucundas atque mythicas, quam veras reprehendit, ad res gestas referenda sunt, tamen inde facile

Verum enim vero ob unam ipsam caussam, quam prius attuli, Thucydides orationes vere habitas ad levissimas usque notiones non reddidit, ob eam dico, quia tales reddendi nulla adfuit facultas [46]). Idcirco is aliam viam ingressus est et eam quidem maxime probabilem, ubi ad veritatem, ne dicam, penetraremus, certe maxime appropinquaremus.

Nimirum Thucydides ἐχόμενος ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, cogitabat secundum mentem atque ingenium oratorum et ducum, unde longe alias sententias promebat, ac si ipse de rebus judicium ut suum protulisset [47]).

---

conjectura enascitur, Thucydidem orationes consignantem sui de historia conscribenda judicii non ita immemorem fuisse, ut medias inter res vere gestas admitteret meras fictiones. Nonne, si quis orationem habens gravissimis temporis momentis auditores ad id, quod vult, quam maxime permovere studet, talis oratio facti instar habenda est? nonne dignissima est, qua sententiae summariae ad veritatem historicam explicentur?

46) Quapropter G. Jo. Vossius ob perversam, ni fallor, rei interpretationem orationes Thucydidis improbat. Conf. ejus Ars historica cap. XX.

47) Vereor, ne ea, quae apud Popponem pag. 47. et 48. de Thucydidis orationibus leguntur, aliquantum a veritate historica absint. Dicit enim Poppo p. 47., tot alios veteres historicos, qui veritatis studiosissimi judicentur, fictas orationes libris suis inseruisse, has orationes continere omnino meditationes quasdam de rerum rationibus hominumque consiliis, etiam Thucydidem plerumque, ut alios veteres, de his omnibus ipsos homines, quorum facta narrentur, loquentes introducere, aliquoties autem, ut nostros historicos, eum tales meditationes tanquam suas proferre. Ac Thucydides, quum tales meditationes tanquam suas

Verum in hac quoque re Thucydides bene vidit, quae essent momenta graviora; nam si quid orationes vere habitae ad res agendas contulerunt, id factum est sine dubio sententiis illis primariis, sed eas ipsas vel proxime ad veritatem historicam conformavit noster. Accedit vero nobis id utilitatis, quod, quum Thucydides, ingenio quidem acutus et in meditando multum versatus, notiones diligentius perpensas tradiderit, veram earum naturam nescio an melius perspiciamus, quam si ipsae orationes vere habitae nobis offerrentur.

---

proferat, e. g. de Pericle, Brasida, Alcibiade, saepius eadem innuit, quae ab his ipsis viris, quos verba facientes introducit, jam dicta sunt in orationibus; unde veri simillimum fit, Thucydidem e consulto sua de certis quibusdam rebus aut hominibus judicia a judiciis virorum, quorum res gestae narrentur atque orationes inserantur, distincte secernere voluisse, quod quidem eo usque fecit, ut ea, quae ipse de rebus etiam gravissimis sensisset, nos non edoceret, et sola eorum, quos loquentes introducit, cogitata moresque redderet. — Omnino autem quod attinet ad orationes, Thucydides cum aliis historicis veteribus non nimis comparandus est, sed ille unus e sua ipsius natura dijudicandus. Commune habet cum ceteris historicis veteribus Thucydides id solum, quod libris suis inseruit orationes; sed harum orationum natura quantum differt ab orationibus ceterorum! Quod optime vidit ipse Poppo; cf. p. 46., ubi de Herodoti orationibus mentionem facit, Creuzeri sententiam de iis sequens. Addit praeterea discrepantiam inter Thucydidis atque aliorum orationes intercedentem haud exiguam, quum dicat, alios nonnullos historicos neglexisse significare, quomodo hae orationes judicandae essent, Thucydidem autem hanc cautionem adhibuisse, si comparentur cum hoc testimonio, quod ipse de se edat I, 22.

Quod autem attinet ad eventus, de orationibus a Thucydide conscriptis plane idem statuendum est, ac si ille vel minima quaeque argumenta singula orationum historicarum ad verbum denotasset; nam quae illis sunt adnexae res gestae, hae omnes ad unam pro vere gestis habendae sunt et eae quidem tali ordine, quali ipsae secutae illas orationes vel his magnam in partem sunt effectae. An nihil esse censetis, quod cum Thucydide faciamus rerum gestarum veritatem profitente a se esse inventam?

Quae quum ita sint, etiam conjicere licet, quo plures interdum et quo probabiliores nuncios de orationum sententiis Thucydides examinasset, quo melius nonnullorum oratorum mores neque non nationum, ad quas illi pertinebant, universa ingenia institutaque haberet cognita, denique quo accuratius et celerius orationum certarum eventus accepisset, eo felicius ipsum in his orationibus conscribendis ad veritatem accessisse.

His legibus criticis propositis jam eo pervenisse mihi videor, ubi nitar inquisiturus in conciones Periclis.

§. 12.

Ac profecto nos orationes Periclis contemplaturi vehementissime optamus, Periclem oratorem a Thucydide in libros introductum esse ad omnes singulas usque et minimas notiones earumque conjunctiones plane integrum atque immutatum. Ipse enim praeter virum illum neminem (ni forte excipias Themistoclem et Brasidam) tanta laude dignum censet[48]),

48) II, 65. Ad quem locum omnium, quibus de Pericle agitur, laudatissimum non timeo ne saepius, quam par erat,

neque minor nobis innascitur in eum reverentia ex hac laudis simplicitate atque calore. Oratorem autem eum principem aestimat [49]), et vere talem fuisse Periclem, id etiam alii aliarum aetatum testes antiqui confirmant et ii quidem non jurantes in verba Thucydidis. Accedit, quod Pericle orationes illas habente res Atheniensium et omnino temporis momenta erant gravissima, quodque Periclis orationes ut vere habitae atque ob summam in res vim celeberrimae viris historicis magis exoptatae esse debent, quam multae aliorum orationes, domi conscriptae et in scholis exempli caussa praelectae.

Itaque partim ob oratoris auctoritatem, partim ob vim orationum vehementissimum illud desiderium, quod supra protuli, in nobis extitit; sed quominus ei satisfiat, permulta impediunt. Profecto enim hoc palam professus esset Thucydides, si unius Periclis singulas quasque sententias levioris etiam momenti, ne dicam ad verbum, tamen ad veritatem historicam notasset. Praeterea quattuor orationum Periclis, quarum mentionem facit Thucydides, unam is summatim et narrando proponit; ceterae vero tres orationes [50]), ubi Pericles ipse verba faciens introducitur,

---

confugerim; namque alibi aliae erant caussae eo confugiendi. — De Themistocle huc pertinet I, 138. cf. 93., de Brasida imprimis IV, 81. et 84. extrem. (cum his comparanda est Brasidae oratio ad Acanthios 85 - 87.), IV, 114. et V, 11.

49) I, 139. extrem., II, 65; conf. II, 34. extrem.

50) Summatim II, 13. Ceterae tres orationes I, 140 — 144; II, 35 — 46; 60 — 64. Immo quintam orationem Periclis memorat noster II, 12; sed hanc innuit tantum bre-

haud parum referunt totam Thucydidis indolem. Sed ut singula verba minus spectes, tamen interna ipsarum natura satis indicat, tali modo Periclem nequaquam concionatum fuisse. Concedamus, ejus auditores, natione Athenienses, certe Graecos et eos mediis in rebus versantes multo melius, quam recentiorum nostrum vel doctissimos quosque, et sensum et dicendi formas intellexisse atque dijudicasse; concedamus etiam, quod sane patet ex illa tragoediarum sublimitate gravitateque et e quotidiana fere concionandi et audiendi exercitatione, plerosque cives Athenienses eximia fuisse intelligendi et judicandi solertia atque celeritate; denique concedamus (id quod non debemus), Periclem concionantem rationem habuisse solummodo prudentiorum civium — haec omnia concedamus, tamen verba ejus raro perspici et tanto, quanto effectu fuisse accepimus quantoque digna esse ipsi videmus, cives Athenienses ad id, quod Pericles vellet, perducere potuissent.

Sunt enim conclusiones ad vulgarem popularemque sensum subtiliores, notionum multarum conjunctiones et sensus ob scriptoris philosophici acumen in quibusdam orationis particulis sitae vel potius occultae; sunt permulti loci brevius atque pressis verbis

---

vissime; ibi enim dixit, Athenienses decrevisse Pericle auctore, ne ulli amplius legato Lacedaemoniorum jam ad bellum contra Athenienses profectorum in urbem introire atque verba facere liceret. Quod autem supra dixi quattuor Periclis orationes apud Thucydidem inveniri, has potissimum in mente habui, quarum argumenta ille nos docet accuratius.

prolati, ita quidem ut eos strenua meditatione atque accuratiore interpretatione vix perspicias, etsi res contineant ad vitam publicam gravissimas, quas auditores extemplo recte caperent, oratoris nihil non interesse debebat; tandem universum genus dicendi a populari oratione maximam partem adeo abhorret, ut accommodatum videatur ad mentem potius a sensibus revocatam et mera rerum vi atque veritate occupatam, quae mens quum ipsa sit summo acumine atque in caussarum subtilitates immersa, auditores idem quodammodo valere ponat.

§. 13.

Hae sunt meae de forma orationum et de concionando dubitationes; nunc, quae de sententiarum veritate historica censuerim, explicabo.

Pericles igitur, uti prius breviter monui, orationes quattuor illas a Thucydide servatas tum habebat, quum civitas Atheniensium erat in summo rerum discrimine, omniumque civium, quid ille concionaturus esset, haud parum intererat. Concionatus est autem felici, adeo miro, dixerim, successu: nempe illo tempore, quo primum is apud Thucydidem orator assurgit, tam civitas Atheniensum quam ipse[51]) summum auctoritatis fastigium adepti in summo quoque invidia erant, et ob vim, quam suo illi modo in alias civitates exercere volebant, odio atque insidiis circacircum admodum premebantur.[52]). Jam postremi

51) I, 139. . . . *Περικλῆς ὁ Ξανθίππου, ἀνὴρ κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον πρῶτος Ἀθηναίων. . .*

52) De invidia atque aemulatione Spartanorum enucleate I, 118. Manifestum vero ceterorum Graecorum in Atheni-

aderant Athenis e Peloponneso legati, qui re infecta si rediissent, Lacedaemonii cum Atheniensibus bellum gerere statuerant [53]). Et gravissimum sane hoc fore bellum aliqui viri prudentia praestantes praesagiebant [54]). At omnes putas fortasse Athenienses bellum voluisse? Minime vero [55]). Attamen quum Pericles ad arma fugiendum esse dixisset, tum ecce armorum strepitus! [56]) Tanta vis fuit orationis in animos civium, quamvis Lacedaemonii in ipsa urbe Athenarum illius caussae inimicos excitassent.

---

enses odium et id quidem summum in eo praecipue perspicitur, quod multo major pars Graecorum stabat a Lacedaemoniis, cf. II, 8; quo cum capite comparandae sunt orationes Corinthiorum Spartae ante bellum habitae. I, 68 — 71. et I, 120 — 124. De odio Lacedaemoniorum in Periclem I, 127. extrem. Confer, quae supra dixi §. 4. not. 16.

53) I, 145. *Καὶ οἱ μὲν (οἱ Λακεδαιμόνιοι) ἀπεχώρησαν ἐπ᾽ οἴκου, καὶ οὐκέτι ὕστερον ἐπρεσβεύοντο.* Haec verba ita intelligi debent, ut ante primum belli initium i. e. ante occupatas a Thebanis Plataeas Lacedaemonios neminem amplius legatum misisse statuamus; nam bello modo exorto Archidamus, rex Lacedaemoniorum, priusquam Atticae fines intraret, denuo misit legatum Athenas, qui e populiscito, de quo dixi §. 12. not. 50. in urbem non immissus est. — Quod dixi „ante primum belli initium", conf. Dodwelli annales pag. 17. et 18.

54) Unus illorum fuit ipse Thucydides (cf. I, 1. et 21.); praeter eum Archidamus (I. imprimis cap. 81. et II, 11.) et omnium maxime Pericles, ut ex tota quidem oratione prima et ex multis aliis locis patet.

55) I, 139. sub fin.

56) I, 145.

Secundam orationem, quam summatim propriis verbis proponit Thucydides, habuit Pericles hostibus jam ad Jsthmum usque progressis. Ea nimirum se ab insidiis Lacedaemoniorum tueri et Athenienses, ut belli gerendi consilia, quae ipse prima oratione jamjam suaserat, invicta constantia persequerentur, permovere conatus est. Etiam tunc paruerunt, quamquam grandis illa rusticorum multitudo a prisca vitae consuetudine discedendum atque molestissima in urbe degendi conditione utendum esse valde dolebat. [57])

Postea autem, quum orator funebris eligeretur Pericles, primo belli anno fere integro praeterlapso [58]), hostes, sicut ille quidem optime prospexerat, ita res gesserant [59]), et Athenienses ipsi, quales fore eos Pericles diserte praedixerat, tales se praebuerant, scilicet aegre ferentes belli aerumnas et ejus auctori, quem illum esse suspicabantur, vehementissime irascentes [60]). Alioquin cives, exceptis in urbe perturbationibus, quod pertinet ad armorum successum, Peloponnesiis nequaquam inferiores erant idque per ipsa Periclis instituta [61]). Hoc rerum statu is oratione funebri habita cives consolatione atque consiliis suis contentos et ad bellum denuo alacres factos de Ceramico dimisit.

---

57) II, 14, 16, 17. Conf. §. 4. not. 15.

58) II, 34 et 47, confer. cum II, 1.

59) II, 18, 19, 20, 23. et prima atque secunda Periclis oratio.

60) II, 21. et 22. Attamen Pericli obedientes fuerant. Conf. II, 13, 23, 24. et 31.

61) II. 17; II, 22 initio et 24; II, 23, 26, 27, 29, 30, 31; quae conferenda sunt cum II, 18, 19 et 22 med.

Post primum autem annum praeterlapsum quum pestis in urbem irrepsisset, jam Periclis labores exstitere infiniti: intus e morbi miseriis nullum refugium, nullae leges [62]; foris agri ab hostibus devastati [63], classis, qua tum Pericles Peloponnesum circumnavigabat, et ipsa morbo correpta, neque non ille ad Potidaeam exercitus [64]. Inde recens erumpit civium ira in Periclem, quamvis Lacedaemonii ex Attica sese reciperent. Eos Athenienses pacem rogant. Frustra. Revertuntur ad Periclem, qui summa tranquillitate animi atque praesentia usus nunc demum iterum et ultimum quidem apud Thucydidem ad rostra procedit, animos Atheniensium mitigaturus et ad labores sustinendos confirmaturus [65]. Quid tum? Athenienses etiam inviti ea, quae ille quidem volebat, facere paratos sese praebent [66].

§. 14.

Jam quae huc usque de rerum statu et orationum eventu disserui, sufficiunt ad faciendam conjecturam, tum Periclem verba fecisse in concionibus vel celeberrimis [67]; immo Athenienses dixerim, quum

62) II, 47, 52, 53.

63) II, 54, 55. 57. extrem.

64) II, 56, 57 et 58.

65) II, 59.

66) II, 65. init.

67) In universum de numero civium Atheniensium in concionibus vid. Aug. Boeckh: Die Staatshaushaltung der Athener, tom. I. pag. 247, 248, 249; tom. II. p. 412. Praecipue haec Thucyd. verba conf.: *καίτοι οὐ πώποτε Ἀθηναίους διὰ τὰς στρατείας καὶ τὴν ὑπερόριον ἀσχολίαν ἐς οὐδὲν πρᾶγμα οὕτω μέγα ἐλθεῖν βουλεύσοντας, ἐν ᾧ πεντακισχιλίους ξυνελθεῖν.* VIII., 72.

Periclem verba facturum esse audiissent, eo frequentiores ad forum confluxisse. Et primae quidem orationis argumentum ipsum, quod erat summi momenti, per sese postulavit, ut permagna civium frequentia, qui sententiam oratorum sive probarent sive improbarent, adesset praesto; etiam postulabat itidem universa Atheniensium reipublicae constitutio. Quod autem pertinet ad orationem funebrem, Thucydides haud obscure indicat, Periclem, ut auditores quam plurimi verba percipere possent, optime curasse, neque ipsum ad solos Athenienses, sed etiam ad hospites concionatum esse. Quid? quod Athenienses ceterorum omnium oratorum illum quidem, qui de civibus pro patria mortuis diceret, dignissimum censebant [68]) — id quod sine dubio aliquantum argumentum meum juvat, quum contendam, Pericli sub initium atque primis belli Peloponnesiaci annis concionanti celeberrimos fuisse auditores. Quod idem ad ultimam ejus orationem, quam quidem apud Thucydidem legimus, referendum est. Quemnam putas fuisse, quin audire valde cuperet, quid tandem vir ille haud exiguis periculorum procellis agitatus ad consolationem multitudinis desperatae prolaturus esset?

Inde conjicere licet, quae protulisset Pericles, ea per totam urbem in populi ore versata, immo extra muros ad Athenienses procul degentes deportata esse. Qua de caussa et ipse Thucydides, ut etiam

68) II, 34. extrem. et 36. extrem. Haec verba Thucydidis (II, 34) *καὶ ἐπειδὴ καιρὸς ἐλάμβανε, προελθὼν ἀπὸ τοῦ σήματος ἐπὶ βῆμα ὑψηλὸν πεποιημένον*... non ad omnes oratores funebres referenda sunt, uti vult Frid. Schlegel. Conf. Wielandii Museum Atticum I, 1. pag. 221.

procul Athenis eum statuamus tum commoratum fuisse, sive per litteras sive praesenti sermone ab aliis civibus de orationum singulis sententiis certior fieri poterat.

Sed statuimus tantum, Thucydidem tum procul Athenis vixisse. Non abfuit autem; namque nec ullus de eo scriptor antiquus tale quid suspicionis movet [69]), et Thucydides ipse plures habet locos, unde se illo quidem tempore, quo Pericles conciones haberet, Athenis fuisse, mox demonstrabimus. Dicit enim lib. II. cap. 48, se ipsum peste affectum fuisse aliosque affectos vidisse [70]). Describit autem labem

69) Huic opinioni meae scholiastes repugnare videtur; sed videtur tantum; adnotat enim ad verba Thucydidis *οἷς τε αὐτὸς παρῆν* (I, 22.) haec: *ἐστρατήγει γὰρ καὶ αὐτὸς ἕως τῆς τετάρτης ἱστορίας.* Sine dubio scholiastes ad hanc explicationem perductus est iis, quae leguntur apud Thucydidem lib. IV. cap. 104 — 108. et lib. V. c. 26. Ac eo tempore, ad quod pertinent hae quidem historiae, scil. quum ad Amphipolim urbem Thucydides navibus praeerat, jam in octavum annum Graecia bello Peloponnesiaco perturbabatur, cf. IV, 51 extrem. et IV, 102 init. Itaque si scholiastae fidem tribuerimus, per septem annos dux fuerit Thucydides necesse erit statuamus, ni fortasse lapsus sum in interpretandis vocibus ejus *ἕως τετάρτης ἱστορίας.* Plura hic nobis dicenda essent tum omnino de ducum Atheniensium dignitate, tum de decem illis strategis, unde scholiasten non recte interpretatum esse, facili negotio ostendi posset; sed hoc supersedeo ob ipsa ejus verba profecta ab illis Thucydidis locis haud bene intellectis.

70) Contra hanc sententiam nonnulli fortasse contendent, Thucydidem fuisse apud exercitum Potidaeam tum oppugnantem, ibique peste, quam milites classe advecti secum at-

istam funestissimam diligentissime, ita ut oculis eam intueri nobis videamur. Ac pestis irrepsit in urbem tempore verno post primam belli hiemem, qua oratio funebris habita erat a Pericle [71]. Quum vero hic se defendebat suprema oratione, tunc pestis primum saevire nondum desierat. Thucydidem autem Athenis commorantem nonne credis inter primos forum petiisse, Periclis orationes auditurum? nam etiam plures atque graviores, quam aliis, ipsi Thucydidi fuerunt caussae audiendi. Etenim si cuiquam, certe ei notum erat, quantus omnino esset Pericles in dicendo et agendo, quantusque foret in rostris bellum commendaturus et semet ipsum defensurus. Hoc autem bellum necessarium et gravissimum, immo internecinum fore, Thucydides, uti jam prius monui, praesagierat, et id diligentissime conscribendum ab initio statim decreverat. Profecto igitur Periclis orationes is optime mente percepit, et quaecunque memoria servare potuerat, ea domum allata paulo post litteris mandavit, sed propriis quidem verbis et fortasse summatim. Neque illa verba: *ὧν αὐτὸς ἤκουσα* (I. 22) ad ullam aliam orationem melius pertinent, quam ad conciones Periclis. Et Thucydides ipse haud obscure nonnunquam indicat,

tulissent, correptum esse. Sed si accuratissimam pestis descriptionem diligenter perlegerint illi, profecto Thucydidem in ea describenda tantummodo Athenarum rationem habuisse et ibi peste grassante praesentem fuisse facile mihi concedent. Conf. praecipue II, 47, 50 extr., 51, 52, 53 et 54 extr.

71) II. 34, 47, 59.

sibi non opus fuisse propriis quibusdam commentis in Periclis orationibus conscribendis. Unus sufficiat locus, qui quod ad veritatem sententiarum historicam omnium fere plurimum confert, saepissime, velim, relegatur, lib. II. cap. 13, ubi Periclem noster refert praeter quattuor illas orationes habuisse et alias tempore belli Peloponnesiaci; etiam addit sententiam earum, universim quidem, sed is tam certus, ut singulas quoque sententias harum orationum in mente ejus fuisse, extra omnem sit dubitationem. Verba autem sunt haec: „ἔλεγε δὲ καὶ ἄλλα, οἷάπερ εἰώθει Περικλῆς, ἐς ἀπόδειξιν τοῦ περιέσεσθαι τῷ πολέμῳ.“ Ac profecto iis Thucydides, ut erat scriptor diligentissimus, non usus fuisset, ni prius, quae singulae res ibi continerentur, lectores eas explicatius edocuisset. Vere autem edocti sunt lectores singulas illas res ea oratione, quae hanc praecedit habita paulo ante bellum Peloponnesiacum.

Itaque Thucydides notiones gravioris momenti, quas in Periclis quidem orationibus legimus, fere nullas de mente propria petiit; sin aliter, is ipsa ea, quae optime scire poterat, contraria veritati historicae reddidisse putandus esset, sed tale quid statui vetant, quae prius disputata sunt.

Nonnunquam autem Thucydides confirmat ut narrator et censor proprio judicio judicia Periclis, quod profecto cavisset, ni sententias ipsius Periclis memoriae commendare voluisset. Ita Pericles bello modo exorto animos civium confirmaturus argumenta promit ex urbis opibus, copiis, vi armorum; ad haec adnotatat Thucydides: τοσοῦτοι γὰρ ἐφύλασσον τὸ πρῶτον ὁπότε οἱ πολέμιοι ἐσβάλοιεν . ., et paulo

infra: *ταῦτα γὰρ ὑπῆρχεν Ἀθηναίοις καὶ οὐκ ἐλάσσω ἕκαστα τούτων, ὅτε ἡ ἐσβολὴ τὸ πρῶτον ἔμελλε Πελοποννησίων ἔσεσθαι, καὶ ἐς τὸν πόλεμον καθίσταντο*, ubi observes, velim, dicendi vim in verbis *ταῦτα* et *οὐκ ἐλάσσω ἕκαστα τούτων* (lib. II. cap. 13.)

Extat aliud simile judicium Thucydidis et id etiam amplius de Periclis sententiis in libri secundi capite 65, quod quidem praeter illud caput 13 modo laudatum ad proprias Periclis sententias inveniendas apud Thucydidem nos vel maxime adjuvat.

§. 15.

In primis autem orationis funebris nonnulli loci nobis persuadent, eam esse prorsus propria quadam natura [72]), atque ceterorum orationibus, quas Graeci dicebant *ἐπιταφίους*, antecelluisse [73]). Jam si ipsam orationis illius sententiam per partes explanaris, exinde cerni mihi concedes oratorem ingenii altioris atque singulariter exculti potissimum quoad in sententias ejus de vita atque civitate prolatas animum attendas. Et una quidem apud Thucydidem est haec oratio funebris, etsi plura per belli tempus fuisse cum oratio-

72) Praecipue initium epitaphii, II, 35., cap. 36. ab his inde verbis: *ὧν ἐγὼ τὰ μὲν κατὰ πολέμους ἔργα . . .* et cap. 46. init. „*εἴρηται καὶ ἐμοὶ λόγῳ κατὰ τὸν νόμον ὅσα εἶχον πρόσφορα*, ubi observes velim verba *καὶ ἐμοὶ* cum aliqua superbia atque sui elatione ab oratore prolata esse.

73) De epitaphiis multa praeclare dicta a Dahlmanno in dissertatione de pace Cimonis. Vid.: Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte I, pag. 19. sqq. Conf. Wielandii Museum Atticum I, 2, pag. 217 sqq. — Quae

nibus funera ipse diserte dicat [74]. Qua de caussa Thucydides materia, quam historicam dixi, oblata haud exigua etiam alias nonnullas ejusmodi orationes litteris mandare facile poterat, immo debebat quodammodo, si solas status publici conditiones respicimus. Namque primo belli anno perpauci tantum Athenienses, quum parva proelia atque rara inter ipsos et Peloponnesios fuissent, pro patria mortui erant [75], necdum res Atheniensium eo discriminis pervenerat, ut dignam tanto nomine ostendere potuissent fortitudinem atque constantiam. At seriore belli tempore pericula sane plura et majora, frequentiae civium pro patria mortuorum majores, solatia denique certe non minus necessaria! Quid igitur fuit, quod Thucydides solam Periclis orationem funebrem memoriae proderet, nisi quod gravem eam intellexisset ac plane diversam a ceteris? Hanc vero diversitatem Thucydidem ipsum e sua mente procreasse nemini unquam concedam [76].

---

ibi pag. 267. de mythis epitaphii Periclis a Thucydide consulto praetermissis prolata sunt (in eadem sententia esse videtur Poppo I, 1, p. 44.), ea refellenda esse censeam.

74) II, 34.: *καὶ διὰ παντὸς τοῦ πολέμου, ὁπότε ξυμβαίη αὐτοῖς, ἐχρῶντο τῷ νόμῳ.*

75) II, 22; conf. II, 19.

76) Quod hac in dissertatione Dionysium Halicarnassensem de Thucydide multum materiae praebentem nihil respexi, hoc propterea feci, quia, quae is censor scriptori nostro crimini dedit, partim huc non pertinent, partim ea ridicula atque cum summa in Thucydidem injuria prolata, partim a viris doctis et in iis a Poppone frequentissime

§. 16.

Monitum est supra, quae Thucydides de Pericle referat, ea partem maximam ad bellum Peloponnesiacum pertinere. Orationes autem, quas memoravi, eo pertinere modo vidimus [77]). Jam Pericles, quum Athenienses nequaquam temere ad res perficiendas secum rapere vellet, neque eas leviores fore censeret [78]), ad suam de bello sententiam civibus probandam et ad animos eorum erigendos necesse erat latius explicaret, tum qui esset politicus Athenarum status, tum quid ipse bellando spectaret, et sic contigit posteris, ut orationibus a Thucydide traditis edocerentur, quae tandem consilia in rebus publicis moderandis Pericles per extremos (tres) potissimum vitae annos sequeretur.

Sed non per eos solos; namque multis locis orationum et libri secundi capite 65. continentur indicia haud obscura, etiam multo prius illa consilia sibi fuisse eadem.

§. 17.

Jam Periclis orationibus aliquantulum missis ad ceteras orationes a Thucydide exhibitas respiciamus, sed id eo usque, ut non singula verba, singularum notionum conjunctiones et alia, quae scriptoris propria esse diximus, verum universum orationum characterem, quatenus quidem is omnino e sentiendi

---

atque acerrime impugnata et infracta sunt. Dionysii de epitaphio judicium vide percensum a Poppone I, 1. p. 67. et 68.

77) Cf. §. 13. et §. 7.

78) Cf. libri I. totum caput 140.

atque agendi ratione enascatur. Quis enim, quum legit in Thucydide orationes Archidami [79]), non agnoscit senescentem virum illum Spartanum priscae consuetudinis, semper anxie circumspicientem atque omnibus calculis in utraque parte subductis tum demum res aggredientem? Quis non, quum legit oratiunculam Sthenelaidae, vehementem illum et belli cupidum inimicum Atheniensium [80])? Itidem orationes Cleonis, Alcibiadis, Brasidae, Hermocratis et aliorum sua quaeque propria habent, quae nunquam non consentiunt cum iis, quae Thucydides ipse de viris vel diserte indicat vel tantum innuit, et id eo magis, quo meliores nuncios de ipsis ei allatos esse reperimus [81]). Itaque habemus, quod ab hac quoque parte, si cujusquam, profecto Periclis effigiem a Thucydide optime expressam esse credamus [82]).

---

79) I, 80 — 85. II, 11.

80) I, 86.

81) De Cleonis oratione contra Mytilenaeos (III, 37. — 40.) hoc protulit judicium Franciscus Passovius, quo in sententia mea firmanda adjuvor. „So fest ich überzeugt bin, dass der Geschichtschreiber nicht Kleons eigne, vielleicht nie aufgezeichnete Worte gegeben hat, so fest überzeugt mich ihr Styl und ihr Abweichendes von allen andern Reden bei Thukydides, dass er uns in dieser ein treues Bild von Kleons und überhaupt von der Demagogen Beredtsamkeit hat hinterlassen wollen.“ Zur Geschichte der Demagogie in Griechenland (Philomathie III, p. 294. not. l.). Add. judicium a Garvio de eadem oratione factum in: Garve's vermischte Aufsätze. p. I, (Vratisl. 1796) p. 445 — 515.

82) Conf. Dan. Wyttenb. Ἐκλογαὶ ἱστορικαί praef., XII. et Creuzeri Ars hist. Graecor. pag. 285 — 288.

Denique, quod attinet ad locos communes, qui haud pauci inveniuntur in orationibus Periclis, hos omnium maxime Thucydidi ipsi vindicarim. Est enim scriptor noster amantissimus locorum communium, et in aliis orationibus fere eosdem denuo profert. Sed omnino haec res non multum contra nos est, partim quod loci communes ob suam ipsorum naturam multis hominibus et iis admodum inter se diversis attribui possunt, partim quod eorum, qui in Periclis orationibus nobis obversantur loci communes, longe major numerus singularem quandam naturam habet, atque cum universa Thucydidis relatione de eo facta optime congruit.

§. 18.

Jam si quid veritatis inest iis, quae huc usque per partes disserui, ut Pericles Thucydideus recte cognoscatur, ad has justas leges criticas provocare posse mihi videor:

1). Quidquid de Pericle Thucydides aut ut simplex rerum pronunciator narrat, aut ut cautus censor dijudicat, id sine dubio a Pericle factum est, id ei fuit proprium.

2). Neque minus Pericli vindicandae sunt cunctae illae sententiae, quae confirmantur aut narratione aut judicio Thucydidis, aut eo, quod in orationibus saepius repetuntur, et in loco quodam altiore atque perspicuo posita ceteris praecellunt.

3). Denique quum ceterae sententiae ad primarias illas sententias partim explicandas partim connectendas pertinentes omnino careant certis veritatis historicae indiciis, tamen cae-

dem ita comparatae sunt, ut de mente quidem Thucydidis petitae videantur, verum optime conveniant universae sentiendi et agendi rationi, quam ad veritatem historicam a Thucydide redditam esse, e lege prima et secunda constat.

Sunt autem ceterae hae sententiae eo magis nobis acceptae, quo melius adjuvamur ad illustrandam undique vim internam Periclis. Namque ita demum clare perspicimus, quo modo scriptor aequalis isque attente contemplans, rerum civilium apprime gnarus, judex acutissimus, censor severissimus, sed tamen justissimus hanc ingenii vim internam mente conceperit; neque hoc profecto commendatione indignum censemus, fere optimas quasque ac subtilissimas et a vulgari cogitandi modo maxime diversas sententias pronunciari apud Thucydidem ex ore Periclis.